

**Dissertatio medica inauguralis, de hydrocephalo acuto quam, Annuente Summo Numine, Ex Auctoritate dignissimi Vice-Cancellarii Archibaldi Davidson, S.S.T.P.P. ET Collegii Glasg. Praefecti ; Nec Non, Amplissimi Senatus Academici Consensu, ET Nobilissimae Facultatis Medicae Decreto ; pro gradu doctoris, Summisque In Medicina Honoribus AC Privilegiis Rite AC Legitime Consequendis, In Comitii Universitatis Glasguensis, eruditorum examini subjicit Joannes Colquhoun, A.M. Scotus, AD Diem XVII. Junii, Hora Locoque Solitis.**

### **Contributors**

Colquhoun, Joannes.  
University of Glasgow. Library

### **Publication/Creation**

Glasgae : Excudebant Gulielmus Reid et Soc, 1796.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gk84f8q3>

### **Provider**

University of Glasgow

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>








Glasgow  
University Library



David Murray Collection  
1928

M 51.8.12







David Murray  
Glasgow.

---

John Colquhoun graduated at Glasgow

M. A. in 1792 and M.D. in 1796

As the dedication shows he was son of  
David Colquhoun of Torrs, a physician in  
Glasgow, who became a member of the  
Faculty of Physicians and Surgeons of Glasgow in  
1771.



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b24919998>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROCEPHALO ACUTO.





DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
HYDROCEPHALO ACUTO,  
QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate dignissimi Vice-Cancellarii  
ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.  
ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI;  
NEC NON,  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,  
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;  
PRO GRADU DOCTORIS,  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,  
IN COMITIIS  
UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,  
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
JOANNES COLQUHOUN, A. M.  
SCOTUS,  
AD DIEM XVII. JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

---

GLASGUAE,  
EXCUDEBANT GULIELMUS REID ET SOCIJ.

1796.



W Steele -

With Compts

from His Hon<sup>ble</sup> J<sup>r</sup>

The Author

Patri suo carissimo,  
DAVIDI COLQUHOUN,

De Torrs;

Viro

integro proboque;

qui,

in oppido GREENOCK

Medicinam,

per multos annos,

prosperrimè fecit;

ob

multa beneficia in se collata,

et

Paternum amorem,

has

Studiorum

primitias,

Summa reverentia,

D. D. Cque

AUCTOR.



For the purpose

DAVID GREENGLASS

the first

Two

large property

for

in the City of New York

the

the same is

the same is

of

the same is the same

it

the same is the same

the

the same is

the same is

the same is the same

the same is

the same is

# DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

## HYDROCEPHALO ACUTO,

JOANNE COLQUHOUN, AUCTORE.

---

§ I. Quanquam ex vetustorum scriptis parum constat, eos scivisse hydrocephalon in capite consistere, tamen nequaquam concludere licet, eos hoc morbo nunquam affectos esse. Signa enim eadem cum iis, quibus, apud nos, hydrocephalos cognoscitur, a compluribus vetustis scriptoribus narrantur. Veruntamen, ex quibus causis haec signa orta sint, cognoscere non potuerunt; propterea quòd, ne cadavera quis ferro faedaret, legibus antiquitus fancitum est.

II. Hujus morbi PAISLEY, GLASCUENSIS, omnium primus, signa luculenter descripsit; et



WHYTT, auctor fidus in primis, in scriptis quibusdam, quae, post eum aliquandiu humatum, edita sunt, fusè et optimè differuit, quàm sit gravis et mortifer morbus.

III. Alii quidam Medici, qui hos (II) secuti sunt, multum curae et studii in perquirendo, quibus causis proveniat, et qua ratione curetur, posuerunt; et complures, quibus multae eum observandi oblatae sunt occasiones, in primis FOTHERGILL et WATSON, literis plurima prodiderunt, digna quae perlegantur, et in memoria infigantur perlecta. QUIN autem, omnium primus, quâ naturâ sit hic morbus, bene expedivit; et, quae ille compressè dixerit, haud pridem productius exposuit RUSH.

IV. His (I.—III.) praemissis, proximum est, ut mala, quibus miseros afficiat hydrocephalos, breviter et ordinatè memoremus.

#### SIGNA.

V. De Hydrocephali diuturnitate inter auctores multùm discrepat. Fert WHYTT, hunc morbum plerumque in sex vel septem hebdomadas protrahi: FOTHERGILL, nunquam, quantum ipse vidit, ultra tres. PERCIVAL, subductis rationibus, certiores nos facit, ex novemdecim hydrocephalo aegris, qui ei curae erant, septem intra secundam hebdomadam



mortuos esse; sex, intra tertiam; quatuor quartâ ferè; unum sextâ; et unum, ad duodecimam usque miseram vitam produxisse. Atque ait *Gregory*, etiamsi hunc morbum decem diebus ad perniciem procedere viderit, rarò tamen lethiferum esse ante secundam hebdomadam finitam; sed saepius inter hanc et sextam, et interdum, ut videre ipsi semel contigit, tres amplius menses produci.

VI. His (V.) cognitis, cogere licet, omnino incertum esse, quo tempore finiatur hydrocephalos. Seriùs enim, ut videtur, ad finem perveniat, occùsive, prout aeger firmâ, an infirmâ, corporis valetudine antea fuerit, atque sanguine, necne, plenus; prout capite extrinsecùs laeso, an magna caloris vi, in morbum inciderit; demumque, prout opportunè, necne, ei medicina subvenerit.

VII. Hydrocephalon *Neurosum* classe, *Comatum* ordine, *Apoplexiae* genere, CULLENUS, ingenio clarissimus, posuit; et, rectè hoc fecerit grandaevus, an secùs, nobis infrà locus quaerendi erit.

VIII. A CULLENO Hydrocephalos definitur  
 “ *Apoplexia* paulatim adoriens; infantes et im-  
 “ puberes, primum lassitudine, febricula et do-



“lore capitis, dein pulsu tardiore, pupillae dilatatione, et somnolentia afficiens.”

IX. Haec (VIII.) definitio, quippe in qua abfunt quaedam, in omnem hydrocephalon non valet; neque, profectò, quam comprehendit, ea aetas cuique hoc morbo laboranti convenit. Quanquam enim hic infantes et impuberes potissimum rapit, adultis tamen interdum mortem affert, qui, ut certiores nos facit FOTHERGILL\*, viginti quinque annos complêrunt, imò etiam, qui, ut ait HUCK†, inter trigésimum et quadragésimum annum, aetatem agunt. In ventriculis cerebri hominis triginta quinque annos nati, qui amico nostro medicinam facienti curae erat, unciae quator aquae, post mortem, inventae sunt, atque, ab anteriore et dextra parte ventriculi lateralis dextri, ferro patefacientibus sub aspectum venit abscessus, in quo puris propè uncia inerat.

X. Scriptis tradidit FOTHERGILL, duas puellas, inter decem et tredecim annos natas, et duas adolescentulas, aetatem inter decimum septimum et undevicesimum annum agentes, hydrocephalo perire; atque LUDWIG‡, his simili-

\* *Medic. Observ. et Inquir.* vol. 4.

† *Medic. Observ. et Inquir.* vol. 4.

‡ *Baldingeri: Syllogie* vol. v. p. 184.



busque adductus, existimat, foeminas plerumque esse, quas, post decimum aetatis annum, hic morbus adoritur. Nihil autem fati firmi nobis videtur, quamobrem ad hanc opinionem accedamus. Ex iis enim comparatè perlectis, quae de Hydrocephalo acuto auctores gravissimi prodiderunt, uno ordine mares et foemineas habere prorsus opinamur.

XI. WHYTT, locuples auctor, conspiciens, quàm aliter aliis hydrocephali acuti temporibus arteriae se moveant, hujus cursum in tria stadia dividit. Alii auctores eum imitati, divisionem, quam omnium primus fecit, secuti sunt.

XII. Multùm autem inter medicos discrepat, quibus signis Hydrocephalos incipiat. Fert WHYTT, infantem aliquot ante hebdomadas, imò interdum etiam menses, languescere, quàm hic morbus infesta signa inferat. Ait, contrà, FOTHERGILL, infantes plerosque; quos videre illi contigit, subito et inopinanter invasisse, dum oblectamentis occupabantur: at confitetur tamen, raros quosdam, paucos dies, priùs maruisse, quàm eos manifestus morbus corripuit.

XIII. Hydrocephalos a languore, et a mentis pariter et corporis pigritia, incipit. Pòst paulò, aliqua pars infra caput, modò cervix, modò humeri, modò crura, modò, sed rariùs, brachia,



dolet. Dolores autem neque aequè acuti sunt, neque in eadem semper parte manent; interdum enim leves sunt, interdum ab una ad aliam partem pervagantur.

XIV. Eodem ferè tempore, aeger ventriculus esculenta, ut sanus solebat, appetere definit: facies pallefcit: febricula obrepit; quae interdum vix quicquam aut nihil remittit, sed ita, ut coepit, continuat, interdum matutinam quotidie remissionem habet, vespertinam accessionem. Arteriae, ut ait WHYTT, ab ipso morbi initio celerrimè moventur; de hoc autem flet FOTHERGILL. Certiores nos facit GREGORY, primo stadio plerumque, ut ipse observavit, nonagies aut centies vices, sexagesima quaque horae parte, micare. Summa cutis calida et arida fit. Lingua albida plerumque est; interdum nitida et subrubra: nonnunquam aphthis deturpatur.

XV. Cùm eò increverit morbus, ventriculus, qui ab initio languidus erat, crebra vomitione afficitur. Alvus vel soluta admodum est, vel adstricta; vel solutam adstricta subsequitur, adstrictam vicissim soluta. Quae ex soluta infrà errumpant, ea colore porracea sunt, et pessimam odoris foeditatem habent: compressam nulla, nisi acriora cathartica affatim devorata, possunt movere.

XVI. Lucem nunc oculi, plùs minùs, refugiunt. Caput gravissimè dolet: sed una plerumque pars ejus, prae caeteris, vertex, putà; vel frons, supra orbitas; vel alterutrum latus, in quod, dum rectum corpus est, caput inclinat\*.

XVII. Dolores capitis et aliarum partium sic urgent, ut, his gravioribus, illi leviores sint, his autem levioribus, illi intendantur.

XVIII. Hydrocephalo correpti, inter somnum, quem initio rarò capiunt, licèt lecto multùm indulgeant, tanquam vermiculati dentibus stridunt, nares carpunt, et, vigiles dum sunt, de dolore abdominis conqueruntur. Pupilla, plùs minùs, diffunditur et dilatatur, aciesque ejus aliquantùm hebescit. Oculi utrique, prae musculorum quorundam resolutione, quò velint aegri, intendi non possunt, sed, quo trahunt sani etiamnum muscoli, moventur, ibique consistunt.

XIX. Ingravescente morbo, febris, praesertim vesperascente die, multùm intenditur; totumque corpus, maximè autem caput, incalescit: turgescit, rubescitque facies: sitis vehemens est; difficillimus spiritus: Capitis dolor adeo intenditur, ut eo cruciatus aeger miserandas ejulationes edat: interdum muscoli faciei

\* Vide *Quim.*



leviter convelluntur; atque accedit delirium, imò, praesertim si adultus aeger sit, mentis alienatio.

XX. Hae (XIII—XIX) notae primum hydrocephali stadium insigniunt; quod certo profectò tempore non finitur, at rarò tamen ultra duas, vel ad maximum tres, hebdomadas protrahitur.

XXI. Per totum morbum, urina varia est, sic ut eâ solâ observatâ, neque quantâ vi morbus urgeat, neque quomodo dignoscatur, neque qua curetur ratione, possimus cognoscere.

XXII. Morbo secundum stadium ineunte, arteriarum percussus ex celerrimis tardi admodum fiunt, neque plures, quàm octoginta, septuaginta, sexaginta, imò interdum quadraginta, sexagisimâ quaque horae parte numerantur. Quando igitur infantis, qui caeteris malis, quae numeravimus, urgetur, arteriae se usque eò submittunt, ut minùs sexagies, sexagesima horae parte, micent, est, quòd eum hydrocephalo laborare suspicemur. Arteriae, dum tardè moventur, etiam non aequis intervallis; neque rarò motus intermittunt.

XXIII. Haec arteriarum pulsuum (xxii.) mutatio, certo tempore, ab initio adversae valetudinis, non incidit, sed plerumque haud minùs



unam, haudve ampliùs tres hebdomadas, ante mortem.

XXIV. Quanquam autem submittunt se arteriae, calor usque eò non remittit, ut interdum intendatur: caput, ut ferunt WHYTT et GREGORY, bonus uterque auctor in primis, etiamnum vehementer dolet; nares aridae sunt; simulque omnia, praeter incitatissimos arteriarum motus, si non intendantur, saltem nihilo sunt remissiora. Verùm sunt tamen, qui dicunt, etiamsi caetera omnia mala aequè, ut antea, gravìa persistent, dolorem tamen aliquantum remittere, vel saltem de eo minùs conqueri aegrum.

XXV. Etiamnum aeger continuà ferme vigilià premitur; at languidus est, neque, licèt sopore nondum urgeatur, rectus sedere potest. Continenter et miserabiliter ejulat; sed quid sibi rei sit, quòd ita faciat, alio modo nequit, vae miser! significare percunctantibus medicis aut amicis, quàm fronti aut ventriculo manum apponendo. Ex somno, si quando iniverit, nullam ferè malorum accipit quietem: brevi enim, sicut terribilibus visu formis perterritus, subitò excitatur.

XXVI. Nunc mala, quibus jam premuntur oculi, omnia multùm ingravescent, vel, si nulla haëtenus acciderint, urgere incipiunt. Eorum



enim pupillae permultum dilatantur; et globi, propter musculos quosdam, prae caeteris, resolutos aliquoversum sic trahuntur, ut aegri strabones fiant, et res, simplices vaturâ, duplices videantur. In hydrocephalo in longum porrecto, hujusmodi visus compluries, ut perhibet GREGORY, apprimè fidus, decedit et revertitur; et etiam hoc morbo aegrum memorat, qui, quo positu se haberent res ante oculos, ostendere potuit.

XXVII. Interdum hoc morbi tempore, sudor oritur; quo tamen mala, quibus aeger cruciatur, nihilo magis levantur. Nunc aeger, si haud dum deliraverit, intra verba desipere incipit, imò interdum insurgere, et violenter quaedam manu facere. Nonnunquam etiam hoc tempore sopore devincitur; sed saepius non antè hoc opprimitur, quàm morbus magis inveteravit.

XXVIII. Nunc plerumque aeger cibos ori immissos avidissimè devorat, neque, ut omnia ferme antea devoratos rejicit. Alvus plerumque compressa est, nonnunquam autem vermes, aut vermium partes, infrà transmittit. Animae, ut ait WHYTT, intoleranda fere odoris foeditas est.

XXIX. Nonnunquam, etiam postquam eò gravitatis increverit, morbus remittit, licèt rariùs, quàm primo stadio, aut initio secundi; sed, feriùs ociùs, gravis, ut antea, revertitur.



XXX. Paucos plerumque antè dies, quàm aeger morti occumbit, motus arteriarum ex tardis et inordinatis fiunt ordinati; et adeo celeres, praequam sunt in ullo ferè alio morbo, ut vix, saepe ne vix quidem, possint ab explorante medico numerari. Certiores nos facit WHYTT, pauciores, sexagesima quaque horae parte, nunquam ipsum numerâsse, quàm centum et triginta; et, quod in primis mirandum est, semel, eodem tempore, ducentos et decem. Hac mutatione arteriarum motuum hydrocephalos transit in id stadium, quod haud perperam tertium medici nominârunt.

XXXI. Per tertium stadium, arteriarum pulsus numero, inter duos extremos a Whytt (XXX) memoratos, variant. Modò enim frequentiores sunt, modò rariores; sed, ut idem auctor est, frequentissimi ea die, quae deplorato aegro summa venit.

XXXII. Aeger, qui antea ex medicamentis somnum, ut malorum quietem, at plerumque frustra, quaesivit, nunc sponte somniculosus fit; neque multò post, somno ultra debitum, et sensus stupore urgetur. Manus, si modò, quò velit, movere possit, caput arètè complectuntur. Soporè excitatus, quaedam incompositè et remissa voce mussitat: deinde sopore denuo occupatur;



quo dum devincitur, animam difficulter, et, attonitorum instar, cum stertore, reciprocatur.

XXXIII. Quando eó (XXXII) discriminis preventum est, palpebrae resolvuntur; pupillae perstant dilatatae; neque lux, vèl vividissima, oculi levissimum quidem sensum aut contractionem movet. Nunc caecus, ex toto, est moriturus aeger.

XXXIV. Nonnunquam, prae nervis opticis inaequaliter compressis, unius oculi, quàm alterius, pupilla magis dilatatur. Semel bisve WHYTT observavit, pupillas, quae dilatatae jam erant, tres quatuorve dies ante mortem, ad naturalem magnitudinem contrahi; et brevi, post aquam cinnamomi cum *spiritu volatili oleoso* assumptam, vel alcali volatili naribus admoto sese diffundere, brevi post iterum sese contrahituras\*.

XXXV. Interdum, ut testatur WHYTT, sanguis profluit ex naribus; sed hoc accidit rarissimè. Nonnunquam facies livefcit; atque summa cutis, hic illic, sed maximè in artubus et pectore, rubris maculis variatur. Per ultimum hoc morbi stadium, alvus nonnunquam pertinaciter astricta est; saepius autem faeces

\* Whytt's Works,



pariter atque urina, aegro insciente, dejiciuntur.

XXXVI. Aeger, cùm in extremum pervenerit discrimen, non solùm oculis, sed interdum, licèt rarò, etiam auribus captus est. Uno alterove ante mortem die, tunica *conjunctiva* inflammatione capitur: facies nunc rubescit; nunc pallefcit: maxima et spirandi et devorandi difficultas est: arteriae quàm imbecillimè moventur; et adeo frequenter, ut vix, saepe ne vix quidem, possint numerari: totum corpus intremiscit: musculorum *tendines* subsiliunt: aeger miserandus toto corpore convellitur; tandemque ei mors malorum quietem affert.

XXXVII. Non autem semper signis omnibus, quae (XIII—XXXVI) memoravimus, hydrocephalos notatur. Interdum enim neque vomitus, neque oculorum mala, neque stupor mortem antegreditur. Nonnunquam, aequalibus temporibus interpositis, signa intermittunt usque eò, ut *cinchonae* cortex multùm proficiat.\* Quinetiam, interdum initio arteriae tardè micant; deinde celeriter; tandemque, ut initio, tardè iterum: neque, per totum morbum, aut caput dolet, aut oculi lumen refugiunt, aut, ante ultimum ferè vitae diem, pupillae dilatantur.†

\* et † vide Quin Differt. Med. Inaugur. Edin. an. m, dccc, lxxix.



XXXVIII. Nonnunquam, ut certiores nos facit RUSH, per totum morbum, aeger, ut sanus solebat; cibum appetit; auditus acerrimus est; neque arteriarum pulsus, contra consuetudinem, tardus est, aut inaequalis. Quinimo, ut idem auctor est, hydrocephalos interdum in alterius lateris resolutionem desinit; interdum, etiam cum neque nausea praecesserit, neque capitis aut artuum dolores, sed morbus a signis destillationis inceperit, tamen, cerebro patefacto, aliquid effusae aquae intus conspicitur.

#### INCISIS CADAVERIBUS PATEFACTA.

XXXIX. Incisis cerebris eorum, quos hydrocephalos abstulit, eadem ferè in omnibus introspicienti sese offerunt. Ferme enim semper in cerebri ventriculis liquor serosus, limpidus seu sufflavus, oculis percipitur. Plerumque in omnibus simul continetur, ob pervium omnium inter se usum; sed, si omnes in se invicem non patent, in quibusdam tantum, maximè lateralibus.

XL. Liquor, in ventriculis contentus, duabus quatuorve unciiis quantitate aequalis est; neque, ferunt medici, calore coit. In unius autem cerebri ventriculis, ut a Paisley accipimus,



inventae octo unciae liquoris sunt, et plurimae *hydatiotes*; plexus *choroides*, contra consuetudinem, induratus erat; atque ejusdem cerebri dura mater, quàm sana, crassior multo, *piae matri* arctissimè adhaerebat.\*

XLI. Nonnunquam cerebri superficiem oblinat glutinosus liquor; qui tamen, curiosiùs inspectus, nihil aliud videtur, quàm serum in tunicam *arachnoidem* effusum.†

XLII. Interdum tumores induratos in diversis intra cranium partibus, modò in cerebro, modò in cerebello, modò in *meningibus*, praecipuè *dura*, conspicati sunt anatomici. WHYTT detexit tumorem, ovo gallinaceo magnitudine aequalem, *thalamos nervorum opticorum* degravantem. GREGORY quoque ait, in uno ex tribus eorum *hychocephalo* laborantium, quos ferro patefieri praefens conspicatus est, tumores, in una cerebri parte aliave, in conspectum venisse; atque mentionem facit unius, in cerebello inventi, qui non solum duriusculus erat, sed etiam sufflavo colore. PETIT et MONRO, clarissimi sanè *anatomici*, certiores nos faciunt, se propriis oculis *glandulam pituitariam* duritiâ affectam vidisse.

XLIII. Venuntamen, interdum tumores adeo

\* Vide Edin. Med. Essays, vol. III. p. 338.

† Aud. GREGOR. *Praelect. de Medic. Pract.*



non duri sunt, ut videantur in eo fuisse, ut suppurarent; et haud multum apparet abfuisse, ut putresceret cerebrum.

XLIV. Certiores nos faciunt QUIN\* et GREGORY† in cerebro puellae, quae, ante mortem, signis hydrocephali propriis affici videbatur, nihil quicquam, post mortem, liquoris inventum esse; et vasa omnium intra calvariam partium sanguinem continentia, contra consuetudinem, turgida fuisse, haud secus atque immisso tenui liquore aliquis ea implevisset. In cerebris etiam aliorum, quos hydrocephalos rapuit, venae, sanguine supra consuetudinem plenae et turgidae, incidentibus in conspectum venerunt.

XLV. Afferit RUSH, ex sex, quos morbus, de quo disputatur, ex medio sustulit, quorumque cerebra, post efflatam animam, ferro patefecit, in cerebris quatuor indubia inflammationis signa oculis sese obtulisse.

#### DIAGNOSIS.

XLVI. Hydrocephalos, quamdiu haud dum bene cognitus esset, pro febre, quam intestinorum vermes concitant, habitus est. Neque, profecto,

† Vide Quin Dissertat. Med. Inaug.

\* Aud. GREGOR. Praelect. de *Medicin. Pract.*



hoc mirum erat; cùm praefertim hydrocephalos et verminatio tot signa communia habeant, capitis, nempe, aliarumque corporis partium dolores; pupillarum diffusionem; interdum etiam convulsiones et vermium dejectiones.

XLVII. Ob tantam signorum communitatem, hydrocephalon, praecipuè incipientem vel saltem nondum inveteratum, a verminatione internoscere, in primis arduum est. Veruntamen, non adeo similes sunt hi morbi, quin, utro duorum aeger laboret, peritus medicus possit suspicari. Hydrocephalicis enim, quàm verminosis, caput vehementiùs dolet, atque fanguine facies magis aequabiliùsque turgescit et rubet.

XLVIII. Pro hydrocephalo quoque longo habitus interdum acutus est. Hi tamen morbi inter se dissimiles sunt. Longus enim infans brevi tempore post partum invadit, antequam cranii suturae commissae sint; atque efficit, ut in miram magnitudinem caput increascit. Haud rarò etiam adultos tentat, praecipuè aquâ inter cutem tumidos, qui externo etiam hydrocephalo simul afficiuntur.

XLIX. Incisis cadaveribus eorum, quos peremit longus hydrocephalos, magna vis aquae, imò haud rarò aliquot librae, intra cranium reperiuntur. Cerebri ipsius magna interdum pars



deest; haud raró, ut certiores nos facit MONRO, nihil quicquam reliquum est, praeter exiguum, in basi cranii et supra orbitas oculorum, partem.

Minimè autem hinc, ait idem praeclarus *anatomicus*, concludendum est, desideratam cerebri partem aquâ solutam esse, sed quod multo verisimilius est, vasis bibulis, licèt nondum monstratis, absorberi.

L. Quinetiam, longus hydrocephalos interdum in aliquot menses, imò etiam annos, protrahitur, et vires usque eò labefacit, ut collum magnum capitis pondus tolerare vix possit. Interea, quod, cerebro infano et manco, in primis mirabile est, mens omnibus virtutibus integra manet et incolumis.

LI. His (XLVIII.—L.) cognitis, et in memoria retentis, medici acutum hydrocephalon longo dignoscere plerumque poterunt.

LII. Duritiae, porrò, glandularum *mesentericarum* et hydrocephali acuti quaedam signa communia sunt. Sed, illo morbo urgente, arteriae celerius, quàm naturaliter debent, et non aequis intervallis moventur; at nunquam, ut secundo hujus stadio, tardius et imbecillius. Quinetiam, in hoc morbo secùs ac in illo, arteriae quando solito incitatiùs, simul et aequalibus plerumque intervallis, micant.



LIII. Denique, ne multa, si quis, nondum septendecim annos natus, languore, nausea frequenteve vomitione, animo demisso, lucis impatientia, lenta febricula, capitis dolore afficitur; sique haec mala lenioribus nec vomitionibus nec purgationibus multum levantur; tunc fati superque est, quamobrem, ne hydrocephalo acuto implicetur, timeamus. Verum, cum hydrocephalos usque eò increverit, ut arteriarum motus multum tardentur, neque tamen calor cutis, fitis, et capitis dolor remittant; cum aeger strabo fiat, resque, simplices naturâ, duplices judicet; cum diffusas pupillas habeat, neque oculos aptos quos stimulet vel clarissima lux; cumque miserabiles ejulationes tollat, et suae mentis non sit: tum, profectò, dubii, quis morbus urgeat, diutius esse non possumus. Eoque adhuc minor apud nos relinquetur dubitatio, quin hydrocephalos acutus sit, si aegri fratrem aut sororem hoc morbo periisse, cognitum habeamus.

#### CAUSAE REMOTAE.

LIV. *Praedisponens*—Quum impuberes, simul constitutione corporis simul temperamento inter



se vel diffimillimi, hydrocephalo acuto rapiantur; dicere, quae sit corporis proprietas, quae quosdam, prae caeteris, aptos reddat, qui hoc morbo corripiantur, imprimis arduum et difficile est.

LV. Ex triginta duobus hydrocephalicis, quos vidit PERCIVAL, undecim manifestis scrofulae notis deformes erant; tres notas minùs evidentes edebant; et quatuor capitibus admodum magnis erant insignes. Tot ex iis hydrocephalo acuto laborantibus, qui huic medico curae erant, eos fuisse, quos scrofula deformavisset quibusve lateret, non est, quare miremur; cùm praesertim medicinam exerceret in magna et frequente urbe, ubi scrofula haud rara sit.

LVI. Opinatur quoque GREGORY, eos, quibus latet scrofula, aptos, prae caeteris, esse, qui in hydrocephalon acutum incidant; et profitetur, se vidisse, in iis hoc morbo, correptis, tumores, qui scrofulam testarentur.

LVII. I. Quanquam, ex consensu medicorum tanti nominis, verisimile est, impuberes, quos deformat quibusve latet scrofula; esse, prae caeteris, hydrocephalo acuto obnoxios; tamen ii sumus, qui credamus, scrofulam nulla ratione eos huic morbo opportuniore reddere, nisi quatenus corpora debilitando aptos faciat,



quorum glandulas, praesertim *conglobatas* tarda inflammatio afficiat.

2. Neque, profectò, fatìs constat, eos, praeteris, quibus sunt magna capita, hydrocephalo acuto patere; praesertim cùm hic morbus multos absumat, qui capitum magnitudine haudquaquam insignes sunt.

LVIII. Quidam existimant, eos praecipue infantes morbo, de quo disputatur, exerceri, quibus, post partum, capitum ossa justò maturius arctè committuntur, sic, ut obstetur, ne capita in magnitudinem increcant, quantam postulet vis, qua in ea sanguinem cor et arteriae impellant.

LIX. Etsi hydrocephalos acutus fortasse non potest dici, haereditatis instar, a parentibus ad liberos pervenire; attamen ex congenita quadam corporis proprietate oriri, quae ex iisdem parentibus natorum plùs minùs communis est, affirmare licet, quum saepè eheu! nimis plures ejusdem familiae liberos invadat et rapiat.

LX. Quum hydrocephalos acutus infantes aliis quibuslibet morbis, *pertussi*, putà, et *rubéola*, debilitatos saepe afficiat; impuberes praeadultis; vigetos ingenio praetardis; et post certam aetatem, faeminas, fortasse, praemari-  
bus: numne concludere licet, proprietatem cor-



poris, in qua proclivitas in hunc morbum consistit, esse irritabilitatem nimiam, qua infantes et foeminae insignes sunt.

LXI. *Excitantes*—Causae numero plurimae, quae hydrocephalon acutum concitare feruntur, ab auctoribus memoratae sunt; quarum aliae plùs, aliae minùs verae, et ad concitandum efficaces, videntur.

LXII. Urina suppressa, et aliae etiam causae, quotquot hydropem faciunt, hydrocephalon acutum adducere ab iis dicuntur, qui hunc longo hydrocephalo non dignoscunt.

LXIII. Praeterea, hunc morbum concitant caput percussum aut contusum; magna vis caloris, praesertim ex ictibus fervidi solis nudum caput impingentibus; aliaquae quotquot committunt, ut in caput sanguis justo enixiùs et copiosiùs impellatur, quibus annumeranda sunt inveterata ulcera nimis subitò sanata.

LXIV. Quinetiam, alii quidam morbi sunt, qui hydrocephalon acutum concitare dicantur, quippe cùm iis haud raro superveniat. Hujus generis sunt febres remittentes, intermittentes; exanthemata; rheumatismus; phthisis; verminatio; *colica*; paràlysis; melancholia; dysenteria; dentitio.

## CAUSA PROXIMA.

LXV. Humor, in cerebri ventriculis contra consuetudinem contentus, haud ita pridem proxima hydrocephali acuti causa habita est; neque, profecto, dubitari potest, quin in cerebris plerorumque ex iis, quos abstulit hic morbus, plus minus effusi humoris ab incidentibus inventum sit. Nequaquam autem ideo concludendum est, hunc humorem causam esse, ex qua, tanquam ex communi omninum trunco, oriuntur signa, quae hydrocephalon acutum testantur. Pari enim ratione cogat aliquis, gangraenam, in quam saepe procedit intestinorum inflammatio, proximam inflammationis, qua ipsa efficitur, esse causam.

LXVI. QURN opinatur, inflammationem varum cerebri proximam hydrocephali acuti causam esse\*; et nunc omnes ferè medici ei assentiuntur. Veram esse hanc opinionem probant non solum causae remotae, et signa; sed etiam ratio medendi, et ea, quae, incisis cadaveribus, in conspectum veniunt.

LXVII. Quae enim causae, committendo ut in caput sanguis justo vehementiùs et copiosiùs

\* QURN Dissert. Med. Inaugur.



propellatur, phrenitidem concitant, vis, nempe, capiti extrinsecùs illata, calor vehemens praecipue solis; eadem concitent acutum hydrocephalon.

LXVIII. 1. Quinetiam, signa, quae primo stadio hic morbus edit, scilicet vomitio, lucis impatientia, alicujus capitis partis acutus constansque dolor, infomnia, magna vis febris, faciei rubor, totius corporis, praesertim capitis, calor intensus, sanguinis e naribus profusio, mentis alienatio, auditus supra consuetudinem acris, ex qua, obsecro, causa, nisi cerebri inflammatione, oriri possunt?

2. Tardi et inaequales arteriarum motus, tardus sensus, lethargus, caecitas, surditas, devorandi impotentia, spirandi difficultas, faeces urinaeque, insciente aegro, excreta, et convulsiones, quibus malis, secundo tertioque hydrocephali acuti stadio, aeger laborat, humore ex inflammatis ~~hand~~ haud pridem vasis effuso cerebrumque onerante efficiuntur.

3. Celeres, sub finem hujus morbi, arteriarum motus, qui etiam paralyxis, *apoplexiae*, et cerebri fracto depressoque cranio prepressi communes sunt, cerebro magna vi effusi (LXVIII. 2.) humoris vehementer gravato concitantur.



LXIX. Remedia, porrò, quae gravioribus hydrocephali acuti signis efficacissimè opitulantur, eandem (LXVI.) opinionem confirmant. Missio enim sanguinis, exulceratio, et hydrargyrus, quibus interiorum corporis partium inflammatio levatur aut reprimitur, acuti etiam hydrocephali graviora quaedam signa mitigant.

LXX. 1. Eandem, denique, (LXVI.) opinionem verisimillimam reddunt ea, quae eorum quos abstulit hydrocephalos acutus, cerebrum introspicientibus sese offerunt. In cerebro enim puellae, quam suprà (XLIV.) memoravimus, vasa supra consuetudinem turgida, et nihil effusi humoris, conspiciebantur; propterea, credimus, quòd mors advenerat, dum urgebat inflammatio, et antè, quàm e vasis aliquid humoris effusum erat.

2. Tumores, insuper, duriusculi; partesque suppuratae imò interdum etiam tanquam computrescentes, quae in cerebris eorum, qui hydrocephalo acuto perierunt, haud raro inveniuntur, unde, quaesumus, nisi inflammatione, effici possunt?

LXXI. Ex his (LXVII.) cognitis et perpensis adducimur, ut cum QUIN (LXVI.) credamus, proximam acuti hydrocephali causam, ex qua, tanquam ex communi fonte, omnia ma-



la, quibus miserandus premitur aeger, rectè haudve rectè oriuntur, esse cerebri inflammationem, ei haud absimilem, ex qua nascuntur mala, quibus phrenitici cruciantur.

LXXII. Verum, si ita (LXXI.) fit, quomobrem, nos interroget aliquis, non in phreniticorum itidem cerebra effunditur humor, et ex effuso eadem prorsùs mala nascuntur?

LXXIII. Hanc (LXXII.) interrogationem dissolvere possumus, dicendo, interdum in vel cerebra eorum, qui phrenitide laborant, humorem, at perexiguum, effundi: inflammationem, qua, dum urget hydrocephalos acutus, cerebrum capitur, propter eam corporis constitutionem, quae impuberibus irritabilibus communis est, non per omnia similem esse ei, qua capitur dum exercet phrenitis, quae adultos robustos et sanguine plenos adoritur: inflammationem, quam phrenitis habet, utique acutam esse, ei fortasse haud absimilem, qua tunicae oculorum interdum afficiuntur; dum inflammatio, quam acutus hydrocephalos, *atonica* fortitan est, ei, ut conjicit GREGORY, assimilis, qua, in iis, in quorum corporibus scrofula latet, palpebrarum orae capiuntur, et quae, ut docet experientia, saepius, quàm acuta, humoris effusione finitur\*.

\* Rush Med. Inquir. et Observ. vol. II. p. 215.

LXXIV. Quoniam opinionem eorum, qui contendunt, *proximam* hydrocephali acuti causam esse cerebri inflammationem, tot tamque valida argumenta ex rebus veris adducta confirmant; fat, ut nobis videtur, rationis est, quamobrem hunc morbum a *neurosum* classe, *comatum* ordine, atque *apoplexiae* genere, ad *pyrexiarum* classem, *phlegmasiarum* ordinem, et *phrenitidis* genus transferamus.

LXXV. Cùm ita (LXXIV.) sit, et morbus plerumque producat, dum ex arteriis cerebri exhalantibus in ventriculis effundatur humor tenuis; potest, neque putamur ineptè, nominari *phrenitis hydrocephalica*, et sic definiri:

“ *Phrenitis (hydrocephalica) paulatim ad-*  
 “ *riens; infantes potissimum et impuberes, rarif-*  
 “ *sime adultos, primum febricula, pulsu arteri-*  
 “ *arum celeri, capitis dolore, lucis impatien-*  
 “ *tia, deinde pulsu tardo et inequali, pupillae*  
 “ *dilatatione, postremo pulsu quam celerrimo,*  
 “ *strabismo, et somnolentia afficiens.*”

#### QUORUNDAM SIGNORUM EXPLICATIO.

LXXVI. Ex malis, quae affert hydrocephalos acutus, multa explicatu difficillima sunt.



Verùm quaedam tamen exponere, pro virili parte, conabimur.

LXXVII. *Nares carpunt*—ii, hoc morbo affecti, fortasse quia, prae earum ariditate, aëre transeunte, contra consuetudinem, irritantur.

LXXVIII. *Stridunt, inter somnum, dentes*—ex musculis *pterygoideis* identidem convulsis, propter mirum quoddam consortium, quod, nervorum interventu, his cum alvo intercedit.

LXXIX. 1. *Alvi profluvium*—quo interdum laborant hoc morbo aegri, forsitan ex intestinorum imbecillitate oritur, prae qua, supra consuetudinem irritabilia sunt.

2. *Alvus astricta*—est, quia ob torporem, qui ipse ex cerebro laborante oritur, non apta sunt intestina, quae in motus, quibus sese exonerent, stercus aut leviora cathartica cieant.

LXXX. *Lucis impatientiam*—humori *thalamos nervorum opticornum* degravanti WHYTT attribuit; sed, ut nobis videtur perperam, cum praefertim, dum illa adest, nihil dum liquoris in ventriculis contineatur. Potiùs, nostrâ opinione, efficitur nimis acri oculorum sensu, quem movet sanguis, in hos pariter et cerebrum justo, ut in partes alias inflammatas solet, validiùs et copiosiùs propulsus.

LXXXI. *Capitis dolorem*—facit cerebri in-

inflammatio: necnon facit dolores aliarum partium, propter consensum, qui, intermediis nervis, his est cum cerebro.

LXXXII. *Pulsuum tarditas*, et *sensuum gravitas*—quae, in secundo hujus morbi stadio, superveniunt, efficiuntur effusio liquore, quo cerebrum nunc oneratur.

LXXXIII. *Strabismus*—oritur ex paralyfi musculorum, quibus oculorum orbes, tempora versus nasumve, trahi solent; ipsa *paralyfis*, ex onerato (LXXXII.) cerebro; *duplex visus*, ex *Strabismo*.

LXXXIV. Alia multa mala, quibus premuntur hydrocephalo acuto aegri, ex gravato cerebro rectà haudve rectà nascuntur, pupillarum, nimirum, diffusio; caecitas; palpebrarum, et alterutrius lateris paralyfis; surditas; sopor; faeces et urina, aegro nesciente, effluentes; spiritus difficilis, et cum stertore; tremores, *subfultus*, convulsiones.

LXXXV. *Motus Artertiarum celerrimi*—qua causa, sub finem morbi, efficiantur, nondum liquidò exponere potuerunt medici. Hujusmodi motus, ante mortem, concitant omnes morbi, qui soporem movent, paralyfis, scilicet, *apoplexia*, et is lethargus, quem efficit cerebrum cranio fracto perpressum.



## PROGNOSIS.

LXXXVI. Amicos eorum, quos invasit hydrocephalos acutus, nulla ferè spe consolari medici possunt. De hoc enim morbo, plerumque nihil, nisi malum, licet portendere. Viginti eo aegri, quibus medicinam adhibuit WHYTT, omnes periêrunt. Confitetur GREGORY, se ne unum quidem eo correptum ad sanitatem perduxisse; et existimare, eos qui perduxisse opinantur, alium et sanabilem pro eo habuisse morbum.

LXXXVII. WATSON autem perhibet, se aegrotum, qui propriis hydrocephali acuti malis laboravit, curâsse; et alii etiam complures, de se, similia narrant. RUSH mentionem facit puellae, indubiis, ut putat, signis hujus morbi affectae, quae, post duos trefve annos, quam curata erat, in eundum recidit, et mortua est. Puellula sexennis, cui medicinam adhibuit amicus meus, expertus, et morborum signorum cum primis curiosus, qui non dubitavit, quin hydrocephalo acuto laboraret, per omnia convaluit, nisi quòd in utraque aure gravitas auditûs mansit, neque, post decem annos, remittit. Certiorem me facit WARDROP, qui EDINBURGI medicinam

prosperè facit puerum sopore obrutum, cui erant dilatatae pupillae, multo hydrargyri usu recepisse se ex morbo, et nunc, post sedecim amplius annos, bonâ valetudine frui.

LXXXVIII. Quum, ut suprâ probare conati sumus, proxima hujus morbi causa sit cerebri inflammatio, vix dubium est, quin incipientem medici, si modò signis non dubiis cognoscerent, remediis, quae infrâ memorabimus, curare possent. Sed, quo tempore prodesset et valeret medicina, eo, prae ignorantia, qua versamur, de morbo dubitamus; et, priusquam, quid aegro fit rei, certò cognovimus, curandi eheu! tempus fugit irrevocabile.

#### CURATIO.

LXXXIX. Oportet consilium esse medicis, qui hydrocephalo acuto laborantibus medicinam adhibent, primùm inflammationem, quae, stadio primo, urget reprimere, ne effusione finiatur; deinde, humorem effusum, qui, secundo tertioque stadio, in ventriculis est, educere; et, interea, forsitan tubercula, quae saepe sunt in cerebris eorum, qui hoc morbo cruciantur, discutere.

#### CONSILIUM PRIMUM.

XC. *Missio sanguinis*—Primo (LXXXIX.)



consilio, sanguis elici debet. Sed cum initio de morbo dubitetur, non inconsideratè mittendus est: morbo enim incerto, non temere commitendum est, ut vires fugiant.

XCI. Quocirca, quando apparent mala, praecipuè nausea et vomitus, quae, ut supra memoravimus, incipiens hydrocephalos affert, at medici tamen incerti sunt, quid aegro sit rei; oportet, ante omnia, vomitum leniter movere, ut nocivâ, si qua inest, materiâ ventriculus liberetur. Quòd si vomitio nihil proficiat, non iterum movenda est; cum praesertim, sanguinem in caput justò enixius impellendo, cerebri inflammationem, si modò inceperit, graviolem reddant iteratae vomitiones.

XCII. Quinetiam, initio, dum dubium est, utrùm verminatione aeger tentetur, an acuto hydrocephalo, alvum purgare proderit; eòque magis, quod, utercunque morborum urgeat, purgatione plùs minùs levabitur.

XCIII. Quòd si nihil proficiant vomitoria et cathartica, erit, quamobrem, hydrocephalo acuto aegrum laborare, opinemur, et ad omnia quam primum confugiamus remedia, quibus primum (LXXXIX.) consilium exsequi possumus.

XCIV. 1. Ex his (XCIII.) remediis, longè efficacissimum est sanguinis missio. Quando igi-



tur caput vehementer dolet, sanguinem quamprimum elicere oportet; at saepe potiùs ex facite, aut temporibus, aut occipitio, vel hircinibus, vel cucurbitulis cum ferro, quam ex brachio incisâ venâ. Infantum enim, eorumque quos praegressi morbi infirmârunt, magis convenit sanguinem ex illis partibus mittere, quàm ex brachio; propterea quòd, prae imbecillitate, eorum corpora sanguinis ex hac parte detracti- onem sustinere vix possunt.

2. Si verò aegri tres quatuorve amplius annos nati sunt, nihil est, cur sanguis non emittatur ex brachio, vel, quod fortasse multo melius sit et efficacius, ex juguli venis vel temporum arteriis. Ex qualibet igitur harum partium ubertim semel detrahi debet, unò vel iterum, si id vires patiantur, et morbus desideret.

XCV. RUSH literis tradidit complura hydrocephali acuti exempla, quae, ut testatur, solâ sanguinis detracti- one ad sanitatem pervenerunt; et insuper asserit, saepe, quo minùs multum incre- scat, ab iis obstari medicis, quibus mos est corpus deplendo omnibus infantium morbis febrilibus subvenire.

XCVI. GREGORY autem, etiam si opinetur interdum fieri posse, ut sanguinis missione hydrocephalo acuto prosperè subveniatur, confi-



tetur tamen, se sanguinem ex partibus, hujus morbi sedi quàm proximis, copiosissime, at nequicquam, mittendum curâsse. Certiores quoque nos facit RUTHERFORD, quantum periculo compertus est, sanguinis, hirudinum ope, ex temporibus detractionem adeo non opitulari, ut mortis gradum acceleret\*.

XCVII. *Purgatio*. 1. Eundem in (XC.) finem, alvum movere prodest; propterea quòd non solum plenitudinem totius corporis minuit, sed etiam sanguinem derivat a capite. Ipsa enim vero alvus astricta, qua hydrocephalo acuto aegri plerumque afficiuntur, fatìs supèrque ostendit, quantopere hi purgationem desiderant; atque testantur GREGORY et RUSH, hinc levamen dolorum, saltem ad tempus accipere.

2. Quoniam eorum, qui hoc morbo implicantur, alvus aegerrimè movetur, opus est, ut acriora cathartica, neque parcâ manu, assumantur. Horum efficacissimum est *Hydrargyrus muriatus mitis*, quem igitur caeteris plurimi nunc medici anteferunt.

XCVIII. *Exulceratio*—non solum saepe mitigavit gravissima mala, quibus caput cruciatur, et aliae quaedam partes; sed etiam interdum ut ferunt medici, morbum prorsus curavit. Cer-

\* Aud. praelect. Clinic:

tiores enim nos facit HOPE, duos diversarum familiarum hoc morbo aegrotos, quorum uterque eodem fratres vel sorores amiserat, exulceratoriis, et paratis ex hydrargyro catharticiis affatim adhibitis, ad sanitatem perductos esse.\* Quinetiam, puer septennis, quem, in valetudinario EDINBURGENO, nosmetipsi vidimus signis hujus morbi, praecipuè vomitione et convulsionibus vexatum, ex his exulceratorio emplastro superimposito, et parte, quò minùs sanaretur, idoneo unguento impeditâ, liberatus est. Postea verò quàm pars exulcerata cuticulam obduxit, eadem signa rediêrunt; sed exulceratorio iterum superimposito, decesserunt, ut antea.

XCIX. *Fonticuli*—ad hydrocephalon acutum praecavendum, quam curandum, efficaciores sunt. Postquam complures ejusdem familiae liberos hic morbus abstulerit, praecautum interdum est et provisum, ne caeteros invaderet, *fonticulum* in cervice faciendo, et impediendo a prima aetatula, usque quo non diutius ei opportuni essent ne solidesceret et cicatricem duceret.

C. *Positurae*—etiam ratio habenda est. Erectus, quantum vires patiantur, aeger debet, quò in caput sanguis cùm parciùs tum remissiùs

\* Aud. Hop. *pralect. de Med. Pract.*



impellatur, et arteriae cerebri sic submittunt se, ut remittat vel conquiescat inflammatio.

CI. *Sudatio*—HUNTER, medicus EBORACI medicinam faciens, vaporario sudorem movendo hydrocephalon acutum ad sanitatem semel perduxit.\* Quid possit vaporarium, adjuvante simul *pulvere ipecacuanhae composito*, GREGORY expertus est. Initio, proficere visum est: semel etiam, ad tempus, oculorum distortionem sustulit; ex quo patet, ad cerebrum onere effusi humoris levandum saltem aliquantulum valere. Verum neque hic, neque, quoad scimus, alius Medicorum quisquam, vaporario vel alio quovis modo sudorem eliciendo, morbum, de quo disputatur, ex toto, sanavit.

CII. *Urinam citantibus*—hydrocephalo acuto subventum est, praecipue autem ab iis medicis, qui hunc hydropis esse speciem rati sunt. Ex medicamentis hujus generis ferè nullum plus pollet, quàm *digitalis purpurea*; quae interdum, ut ferunt auctores, qui eâ in hunc morbum ausi sunt pugnare, ad spem respondit. In nostris vero regionibus, nihildum, quantum scimus, profuit.

CIII. *Refrigeratio externa*—quippe cum, inflammationem reprimendo, Phreniticis multum opituletur, eodem fortasse modo iis cum hydro-

\* Edin. Med. Comment. vol. 8. p. 107.



cephalo acuto colluctantibus plùs minùs prodes-  
set.\*

CIV. *Hydrargyrus* —, si modò adhibe-  
atur usquequo ingratum oris saporem moveat,  
dicitur, neque, credimus, perperam, multùm  
contra morbum, quem persequimur, valere. Prae  
caeteris, PERCIVAL et DOBSON, auctores idonei  
in primis, eum, propter efficientiam, summis  
laudibus extulerunt.†

CV. Quaestio autem inter auctores movetur,  
numne Hydrargyrus duntaxat tantum contra  
hydrocephalon acutum polleat, quantùm salivam  
citat. PERCIVAL videtur, utilitatem, quam hoc  
morbo impliciti ex hydrargyro accipiunt, neuti-  
quam tanto majorem esse, quanto magis move-  
tur saliva. CULLEN, contrà, olim ratus est,  
hydrargyrum haudquaquam iis profuturum, nisi  
salivam citaret, et, salivam si citaret, eos pror-  
fùs curaturum. Quantùm autem opinione la-  
beretur, haud multò pòst compertus est. Com-  
plures enim hoc morbo laborantes, quibus mul-  
to hydrargyri usu salivam moverat, nihilo minùs  
morte occubuerunt. MONRO perhibet, ex viginti  
eodem morbo implicatis, quinque hydrargyro  
salivam movisse, et tamen ne unum quidem morti

\* RUSH. Med. Inq. et Observ. vol. II.

† Edin. Med. Comment. vol. V.



eripuiffe\*. Confitetur etiam GREGORY, se haud rarò hydrargyrum affumendum ab iis, quos hydrocephalos acutus urgebat, curâsse, usquequo ore, supra consuetudinem, salivarent, neque eo tamen magis potuisse eos ad sanitatem perducere.

CVI. Non autem ignorare oportet, prae miro corporis torpore, eos, qui hydrocephalo acuto urgentur, vix posse hydrargyro incitari. Vis enim hujus medicamenti, fide fere major, devorata est, et externo simul corpore infricata, neque tamen eâ corpus omnino affici videbatur. Imò etiam, interdum vel ulla hydrargyri quantitate salivam, supra consuetudinem, movere, inter ea esse videtur, quae fieri non possunt.

CVII. Etsi Hydrargyrus ad spem CULLENI, MONRO, et GREGORY parum respondit, tamen interdum, ut suprâ (LXXXVII. et XCVIII.) memoravimus, ad curationem contulisse videtur. Oportet itaque, ubi alia medicamenta non respondent, non tanti putare auctores, quam aegrum, et, quid hoc possit, experiri.

CVIII. Qua ratione Hydrargyrus, ad inflammationem internarum quarundam partium discutiendam polleat, nos nescire confitemur. Qui opinati sint, qua ratione salivam moveat, eâdem

\* Aud. prælect. de Anat. et Physiol.

contra hydrocephalon acutum valere, ii contend-  
erunt, proficere sanguinem ex interno capite ad  
glandulas, quae salivam fecernunt, derivando.  
Nobis autem verisimilius videtur, totum corpus  
stimulando partis inflammatae arteriarum action-  
em, ex morbida ad sanam convertere.

#### CONSILIUM SECUNDUM.

CIX. *Hydrargyrus*—secundo etiam (LXXXIX.)  
consilio, adhiberi debet. Cùm enim efficiat,  
ut ex aliis cavis humorem, quo, contra consue-  
tudinem, opplentur, vasa bibula absorbeant,  
possit etiam efficere, ut ex cerebri ventriculis  
absorbeant humorem, qui urgente hydrocephalo  
acuto, hos praeter solitum, opplet. Quan-  
tùm vasa bibula ad absorbendum hydrargyrus  
incitet, satis ex eo constat, quod hoc solo GRE-  
GORY eduxit aquam ex abdominè eorum, quos  
ascites gravabat.

CX. Certiores nos facit PERCIVAL, utilissi-  
mum esse, ut ipse expertus est, hydrargyro,  
quem ab iis hoc morbo implicatis devorandum  
curemus, opium aut *moschum*, aut *ammoniam*,  
aut *Zinci flores*, aut scillas adjicere. Atque  
RUSH, cognito magno commodo, quod aliis  
quibusdam morbis aegri, ex *Cinchonae Cortice*,



vino, et opio unà cum hydrargyro assumptis acceperunt, opinatur, hunc, illis fociis auxiliantibus, plùs etiam iis profuturum, qui hydrocephalo acuto urgentur.

CXI. *Errhina*—hoc morbo laborantibus profutura, quidam auctores opinati sunt, adducti forsitan ut ita opinarentur, eo quòd aegrorum nares, contra consuetudinem, aridae sunt. Medicamenta autem inutilia et inefficacia videntur.

CXII. *Ignis electricus*—tentatus parum profuit.

CXIII. *Opium*—ubi gravissimis doloribus aeger cruciatur, adhibere, quo leventur, liceat.

CXIV. *Pediluvium*—quod nonnulli credunt phreniticis prodesse, hoc etiam morbo affectis proficere putatur. Sed in neutrum, putamus, multum valet.

CXV. *Cranium perterebrando*—educi humorem posse, quidam olim, sedem morbi ignorantes, existimârunt. Nunc autem ex cognita parte, qua humor continetur, fatis constat, sic vita manente, educi non posse. Imò, fac potuisse: nihil tamen omnino ad curationem valeret; cùm praefertim ex arteriis exhalantibus, quas laxas nupera inflammatio fecit, humor novus effusus, partes, quos nuperrime occupabat eductus, brevi oppleret.

## CONSILIUM TERTIUM.

CXVI. *Hydrargyrus* —, quippe qui duritias emolliendi potentiâ aliis medicamentis prae-possit, efficacissimum remedium est, quo discutiantur tubercula, quae in cerebris eorum hydrocephalo acuto laborantium oriuntur. Verùm confitendum tamen est, si haec jam multùm induruerunt, nulla, quantùm scimus, medicamenta esse, quibus possint emolliri.

## PROPHYLAXIS.

CXVII. Tripartita (LXXXIX.) curatione, pro nostra facultate, absolutâ, antequam huic opusculo finem imponamus, haud alienum erit superdicere, morbum, de quo disputavimus, vitare, quàm curare, ut facilius, sic fatius esse. Quoties itaque est, quamobrem vereamur ne accedat, oportet arcere conemur praecipiendo opportunis, ut omnia sedulo vitent, quibus in cerebrum sanguis nimio opere impellitur; ut sint parci in victu, modici in exercitatione; ut alvum, si dura, lenioribus quibusdam catharticis subinde emolliant; et, ante omnia, ut in cervice *fonticulum* habeant, neque permittant ut priùs fane-tur, quàm puerilis aetas praeteriverit.

FINIS.



ERRATA.

Page 3. l. 13. *pro* Ocuſve, *lege*, Ociufve.

4. l. 24. *pro* his Similibusque, *lege*, Similibus.

\* † *pro*, *Med. Obſerv. et Inquir.* *lege*, *Medic. Obſerv. and Inquir.*

‡ *pro*, *Baldingeri: Syllogie*, *lege*, *Baldingeri Sylloge.*

7. \* *Pro Quim*, *lege*, *Quin.*

10. l. 4. *pro* vatura, *lege*, natura.

12. l. 15. *pro* cnm, *lege*, cum.

l. 16. *pro* contracturas, *lege*, contracturas.

15. l. 2. *pro* hydatiotes, *lege*, Hydatides.

l. 15. *pro* Thatamos, *lege*, thalamos.

l. 16. *pro* hychocephalo, *lege*, hydrocephalo.

17. l. 15. *pro* qnoque, *lege*, quoque.

18. l. 14. *pro* Virtutibus, *lege*, Virtutibus.

24. l. 20. *dele* hand.

40. l. 19. *pro* qnīdam, *lege*, quidam.





